

PONTIFICIA COMMISSIO  
CODICI IURIS CANONICI  
RECOGNOSCENDO

# COMMUNICATIONES

VOL. VI - N. 1

---

1974

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS  
CANONICI RECOGNOSCENDO

VIA DELL'ERBA, 1 - 00193 ROMA

NUM. 1

IUNIO 1974

## EX ACTIS PAULI PP. VI

Rescriptum ex audientia  
*Instructio de secreto pontificio* . . . 3

## Allocutiones

- I. *Iis qui in Gregoriana Studiorum  
Universitate «Cursui renovationis  
canonicae pro iudicibus aliisque  
tribunalium administris» inter-  
fuerunt* . . . . . 7
- II. *Ad Praelatos Auditores, Advocatos  
et Officiales Tribunalis Sacrae Ro-  
manae Rotae, a Beatissimo Patre  
novo litibus iudicandis ineunte  
anno coram admissos* . . . . 10
- III. *Ad Sodales et Consultores Ponti-  
ficiae Commissionis Codici Iuris  
Canonici Orientalis recognoscendo,  
in dedicatione laborum* . . . . 14
- IV. *Ad Consilium permanens Secreta-  
riae Generalis Synodi Episcoporum* 19

## EX ACTIS SANCTAE SEDIS

*Sacra Congregatio pro Religiosis et Insti-  
tutis saecularibus*

De dimissione religiosorum qui vota per-  
petua nuncuparunt in religione cleri-  
cali exempta . . . . . 23

## *Sacra Congregatio pro Cultu Divino*

- I. *Litterae circulares De normis ser-  
vandis quoad liturgicos libros in  
vulgus edendos, illorum transla-  
tione in linguas hodiernas peracta* 24
- II. *Decretum De novo «Ordine Pae-  
nitentiae»* . . . . . 26
- III. *Decretum quo vacatio legis de Or-  
dine Unionis infirmorum pro-  
rogatur* . . . . . 28

## ACTA COMMISSIONIS

- I. *Brevis conspectus de labore hucus-  
que a Commissione peracto deque  
peragendo* . . . . . 29
- II. *Coetus mixtus studiorum ad appa-  
randum Schema Legis Ecclesiae  
Fundamentalis constituitur* . . . 59
- III. *Opera Consultorum in parandis  
Canonum Schematibus*
  1. *Coetus specialis studii «De  
Lege Ecclesiae Fundamentali»* 60
  2. *De Institutis Perfectionis* . . 72
  3. *De personis physicis et iuridicis* 93

## DOCUMENTA

*Oratio de statu laborum Commissionis  
ab Card. P. Felici Vindobonae habita* 104

NOTITIAE . . . . . 116

horum institutorum accommodata. Prae oculis tenet perantiquas traditiones huius venerabilis formae vitae consecratae et vult ut religiose servantur. Quae tamen obsoleta sunt vel moribus hodiernis non amplius respondentia e medio tollantur. Desiderata, tandem, ab iisdem institutis expressa, fuerunt a Coetu Studii substantialiter acceptata, ita ut concludi possit instituta monastica in nova legislatione invenire *statutum proprium*, quod eis relinquit illam aequam libertatem aptum ius particulare aedificandi et educendi ex peculiari eorum indole, charismate et missione necnon ex propriis sanis traditionibus.

De ceteris, quae alia instituta respiciant, in proximo Commentariorum libello (P. Marcus Said O.P., *Relator*).

## 3

## De personis physicis et iuridicis

Coetus studiorum cui inde ab initio commissum est ut tractet de recognitione eorum canonum qui ad quaestiones speciales se referunt indolis prorsus iuridicae, constat consultoribus quorum plerique sunt canonistae, aliqui autem theologi. Huic Coetui incumbit imprimis recognitio canonum qui praescripta continent *de personis in genere* (Codicis I.C. canones 87-107). Hac ratione Coetus appellatus est *de personis physicis et iuridicis*. Attamen aliae quaestiones, indolis praecipue iuridicae, huic Coetui tractandae commissae sunt, videlicet aliquae quaestiones quarum ordinatio in Codice I.C. habetur sub titulo « de Clericis in genere », quae vero non proprie ad hunc titulum se referre videntur. Huic Coetui inde recognitio concredita est canonum Codicis I.C. qui agunt de *officiis ecclesiasticis* (cann. 145-195) necnon canonum qui praescripta complectuntur *de potestate ordinaria et delegata*. Latius vero quam in Codice agitur de hac materia, et quidem sub titulo « de potestatis regiminis exercitio ».

Qui in Codice I.C. habetur canones de personis generales seu de personis in genere (cann. 87-107), diversas respiciunt quaestiones, quae indicari possunt ut sequitur: *de personis physicis; de personis iuridicis; de actibus iuridicis; de praecedentia inter varias personas sive physicas sive morales*. Ad canones quod attinet qui de praecedentia normas statuunt, admissum est eosdem in ipso Codice recognito non esse inserendos, sed in alio quodam documento, forsan in Codicis appendice, aliquas de hac materia normas referri posse.

In hac relatione exponetur quaenam proponuntur normae recognitas de personis physicis, de personis iuridicis atque de actibus iuridicis, ut postea praebeatur relatio praescriptorum quae proponuntur de officiis ecclesiasticis et de potestatis regiminis exercitio.

## I. De personis physicis

De personis physicis in *Codice I.C.* imprimis traditur *norma fundamentalis*, definiens rationem qua homo in *Ecclesia Christi* constituitur persona, i.e. subiectum obligationum et iurium proprie *canonicorum*. Notum est praescriptum can. 87 Codicis: « Baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona cum omnibus christianorum iuribus et officiis, nisi, ad iura quod attinet obstat obex, ecclesiasticae communionis vinculum impediens, vel lata ab Ecclesia censura ». Haec autem norma, utpote omnino fundamentalis, locum suum habet in schemate Legis canonicae fundamentalis. Revera norma huius canonis recognita proposita est in Schemate Legis Ecclesiae Fundamentalis, typis edito,<sup>1</sup> can. 6, § 2. Attentis autem animadversionibus ad textum huius schematis factis, iterum recognita est eadem norma; quae vero, uti dictum est, ut norma Legis fundamentalis servatur. Coetus itaque, cuius operis relatio proponitur, de hac norma non tractavit.

In Codicis canonibus 88-98 praescripta traduntur de diversis elementis seu condicionibus personae quae ad definiendas eiusdem obligationes canonicas et capacitatem canonicam momentum habent. Quae personae condiciones sunt aetas, mentis status; etiam origo et domicilium necnon quasi-domicilium; item consanguinitas et affinitas cum aliis personis quibus coniungitur; denique tandem ritus ad quem pertinet in Ecclesia.

### 1. DE CONDICIONE PERSONAE RATIONE AETATIS

De aetatum diversitate servantur normae Codicis C.I. can. 88, §§ 1 et 3. Supprimitur autem in iure recognito determinatio iuridica pubertatis. Revera in paucis casibus applicationem habuit norma Co-

<sup>1</sup> Cf. PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENTO, *Schema Legis Ecclesiae Fundamentalis, Textus emendatus cum relatione ...*, Civ. Vaticana, 1971, p. 13; cf. etiam *Relationes*, ad can. 6, pp. 75-77 et p. 133.

dicis, et non raro quaestio ponebatur a commentatoribus utrum distinctio inter masculos et feminas, aetatem pubertatis quod attinet, servanda et applicanda esset.

*Quoad minores*, uti patet, remanet praescriptum, vi cuius in exercitio suorum iurium potestati obnoxii manent parentum vel tutorum. Sed, secus ac in Codice I.C. statuitur tutorem, de quo agitur, esse tutorem ad normam iuris civilis respectivae nationis constitutum; atamen exceptiones haberi possunt tum quoad tutoris constitutionem tum quoad eius potestatem, et quidem si ius canonicum de tutore vel de eius potestate aliud praescriptum pro certis causis statuerit, aut si Episcopus dioecesanus in certis casibus iusta de causa per nominationem alius tutoris providendum aestimaverit.

## 2. DE CONDICIONE PERSONAE RATIONE STATUS MENTIS

In Codice I.C., can. 88, § 3, in qua de infante seu parvulo statuitur eum censerì non sui compotem, additur infanti assimilari quotquot usu rationis sunt habitu destituti.

Cum magis conveniens haberi debeat ut in distincto canone agatur de iis qui habitualiter rationis usu sunt destituti, norma de iisdem, quae in Codice I.C. insimul cum praescriptis de infantibus tradebatur, in separato canone praebetur. Praescriptum vero remanet ut in Codice, significans nempe eos qui habitualiter usu rationis sunt destituti simpliciter esse censendos toto tempore non sui compotes.

## 3. DE CONDICIONE PERSONAE RATIONE ORIGINIS

Quaestio poni debebat utrum praescripta de origine, quae in Codice I.C. habentur, servanda sint necne. Re quidem vera applicationem tantummodo habent ut determinetur Episcopus proprius ordinationem saecularium competens (can. 956). Visum autem est ad huius Episcopi proprii determinationem locum originis momentum habere, ideoque et servanda esse praescripta, quibus locus originis determinatur. Remanent itaque praescripta Codicis, I.C., can. 90, et quidem immutata.

## 4. DE CONDICIONE PERSONAE RATIONE DOMICILII ET QUASI-DOMICILII

1. *Utrumque institutum*, nempe domicilium non tantum, sed et quasi-domicilium, servandum esse aestimarunt Consultores. Una enim ex parte pro cura pastoralì maximum momentum habet sedes stabilis

personae, scilicet locus in quo domicilium habet. Altera autem ex parte, etiam locus in quo persona sedem aliquam habet, licet minus stabilem locus nempe in quo per aliquot menses, feriarum aliave ratione commoratur, momentum habet curam eiusdem pastorem quod attinet. Inde attendi debent tum locus domicilii personae, tum locus in quo persona aliquam sedem, licet minus stabilem, habet, scilicet quasi-domicilium. Sane, uti in Codice, non raro effectus iuridici adnectuntur domicilio personae, et subsidiarie tantum eiusdem quasi-domicilio. Verum, remanet ut utrumque institutum momentum habeat, et ideo servatum est.

2. *De domicilio voluntario* seu libere a persona constituto, servantur praescripta quae in Codice I.C. habentur, in can. 92, § 1. Domicilium itaque libere acquiri potest sive per commorationem in paroecia aut saltem dioecesi una cum animo ibi perpetuo remanendi si nihil avocet, sive per eandem commorationem quae sit ad decennium completum protracta.

*De quasi-domicilio voluntario*, cum rationes pastorales ita sua-deant, admissum est illud acquiri sive per commorationem in paroecia aut saltem in dioecesi cum animo ibidem manendi *saltem per tres menses*, sive per eandem commorationem *ad tres menses reapse protractam*.

*Ad domicilium et quasi-domicilium uxoris* quod attinet, *Codex I.C.* statuit eandem, si legitime non est separata, domicilium *legale* seu necessarium habere viri sui, sed acquirere posse quasi-domicilium proprium; uxorem vero legitime separatam a viro suo acquirere posse etiam proprium domicilium (can. 93, §§ 1 et 2). Secundum *propositum ius recognitum*, uxor potest proprium voluntarium domicilium et quasi-domicilium acquirere. Attamen, ratione debitae inter coniuges vitae communis, communi quidem ut plurimum consensu ordinandae, *praesumitur* uxor habere domicilium et quasi-domicilium viri sui. Domicilium quod ita acquirere uxor praesumitur, est domicilium, minime legale seu necessarium, sed voluntarium seu libere ab uxore electum. Praesumptio vero ita introducta est iuris tantum, et potest habere uxor domicilium sicut et quasi-domicilium proprium.

3. *Domicilium legale seu necessarium*, ipsa nempe lege impositum, servatur tantummodo *pro minoribus* atque *pro personis quae alia ratione quam minoritate in tutelam vel curatelam legitime traditi sunt*. Attamen minor infantia egressus potest etiam quasi-domicilium proprium acquirere, immo et legitime ad normam iuris civilis emancipatus etiam proprium domicilium.



4. *De amissione domicilii et quasi-domicilii*, sicuti et *de effectu generali* eorundem, scilicet quoad parochum et Ordinarium proprium, servantur praescripta Codicis I.C., cann. 95 et 94.

5. DE CONDICIONE PERSONAE RATIONE CONSANGUINITATIS,  
AFFINITATIS ATQUE ADOPTIONIS

1. *De consanguinitate et affinitate*, servatur certo computatio per lineas et gradus, itemque praescriptum, vi cuius *in linea recta* tot sunt gradus quot generationes, seu quot sunt personae, stipite dempto (Cod. I.C., can. 96, §§ 1 et 2). *Mutatur* vero praescriptum de modo computandi consanguinitatem et affinitatem *in linea obliqua seu collateralis*: derelinquitur modus computandi hucusque in iure canonico admissus, ex antiquo scilicet iure germanico desumptus, et introducitur modus computandi, qui iuri romano erat proprius, et apud plerasque hodie nationes adhibetur. Itaque in linea obliqua tot sunt gradus quot personae *in utraque simul linea*, stipite dempto. Hac ratione ius canonicum iuri civili, uti in plerisque saltem nationibus viget, aptatur.

2. *De adoptione* praescriptum in iure recognito proponitur, quod in iure Codicis deficit. Secundum hoc praescriptum filii qui ad normam legis civilis nationis adoptati sunt, habentur ut filii legitimi eius vel eorum qui eos adoptaverint; attamen salvantur praescripta Codicis I.C. quae impedimentum matrimoniale ex adoptione ortum respiciunt (cann. 1059 et 1080), quae quidem praescripta in recognito quoque iure de matrimonio servantur.

6. DE CONDICIONE PERSONAE RATIONE RITUS

Modo magis distincto et completo quam in Codice I.C., proponuntur praescripta de Ritu ad quem persona pertinet.

Principium § 1 canonis 98 Codicis, ad simpliciores reducit formam, scilicet: Inter varios Ecclesiae Ritus, ad illum Ritum quis pertinet, cuius caeremoniis ad normam iuris *baptizatus est* aut *baptizari debuisset*. Quoniam ritu baptizari quis debet, statuitur in canonibus de sacramento baptismi.

*De transitu ad alium ritum*, in § 2 canonis recogniti tres proponuntur rationes seu casus. Post receptum baptismum, alii Ritui adscribitur: 1° qui facultatem hanc ab Apostolica Sede obtinuerit (Cod. I.C., can. 98, § 3); 2° mulier quae in matrimonio ineundo vel eo durante, ad Ritum viri se transire *declaraverit*; matrimonio autem soluto, libere potest Ritum, cui ad normam § 1 adscripta erat reassu-

mere (Cod. I.C., can. 98, § 4); 3° *filius quattuordecim annis minor*, cuius pater aut, in mixto matrimonio, pars catholica, ad alium Ritus legitime transierit; adepta vero hac eadem aetate, potest pristinum Ritus reassumere. Hoc ultimum praescriptum est novum, sed logice requiritur. Admittitur vero filium, inde a decimo quarto anno completo, in quaestione talis momenti, decidere posse et non esse sub auctoritate patris vel tutoris.

## II. De personis iuridicis

1. *Personae iuridicae* in iure recognito proposito vocantur illa obligationum et iurium subiecta quae non sunt personae physicae seu homines individui, et quidem sive iam in ordine morali sint personae, sed ordine canonico uti tales agnitae, sive ordine canonico uti tales primo constitutae. Vocari etiam possent personae canonicae, quae scilicet in ordine canonico uti subiecta obligationum et iurium constituuntur, sed modo generaliore appellantur personae iuridicae.

2. *Personarum iuridicarum constitutio* in ordine canonico regitur canone generali, quo recognoscitur can. 100, § 1, Codicis I.C. Duplex affirmatio in hoc canone proposito habetur:

a) personae iuridicae constitui possunt sive communitates personarum sive rerum complexus, in finem spiritualem qui singulorum finem transcendit, ordinati;

b) tales communitates constituuntur personae iuridicae aut ex ipso iuris praescripto aut ex speciali competentis auctoritatis concessionem per decretum facta.

3. *Distinctio in universitates personarum et universitates rerum* imprimis admittitur. In iure Codicis non occurrit haec generalis distinctio, sed tantummodo habetur distinctio inter personas morales collegiales et non collegiales, uti sunt ecclesiae, Seminaria, beneficia (ita can. 99). Multis difficultatibus ansam praebuit haec legislatio Codicis, ita ut diversae, et quidem omnino inter se oppositae, habeantur sententiae de indole collegiali aut non collegiali certarum personarum iuridicarum, v.g. dioecesis, paroeciae, etc. Ratio difficultatum est insufficientia distinctionis inter personas iuridicas collegiales et non collegiales. Quare, in iure recognito proposito distinguuntur:

a) persona iuridica quae est *universitas personarum*; quae vero universitas personarum esse potest sive *collegialis* sive *non-collegialis*, prout vel non est coetus, cuius ipsius actionem determinant membra, in decisionibus ferendis concurrentia, sive aequali iure sive non, ad



normam iuris et statutorum; ex. gr. universitas personarum collegialis est Collegium Episcoporum, Capitulum cathedrale, etc.; universitas personarum non-collegialis est dioecesis, paroecia, etc.;

b) persona iuridica quae est *universitas rerum*, quae quidem constat rebus seu bonis, sive spiritualibus sive materialibus, et quam moderantur sive una vel plures personae physicae sive collegium.

4. *Distinctio in personas iuridicas publicas et privatas* etiam admittitur. Haec distinctio facienda est, cum in iure recognito de christifidelium associationibus expressius quam in iure Codicis stabilitur integrum esse christifidelibus omnibus ut libere condant atque moderentur consociationes ad eos fines religionis vel pietatis prosequendos, quorum persecutio non uni Ecclesiae auctoritati reservatur. Consociationes itaque distinguuntur publicae, ab ipsa auctoritate erectae, et consociationes privatae, quae antea et laicales vocabantur, ab ipsis personis privatis constitutae. Non autem omnes illae consociationes sunt personae iuridicae.

*Personae iuridicae publicae* sunt personarum communitates vel rerum complexus, qui ab ecclesiastica auctoritate competenti constituuntur ut infra fines sibi praestitos nomine Ecclesiae agant. Personalitate iuridica donantur sive ipso iure, ut v.g. dioecesis, paroecia, Capitulum cathedrale, sive speciali competentis auctoritatis decreto eandem expresse concedente, sive sit decretum quo constituitur universitas personarum aut rerum sive non.

*Personae iuridicae privatae* sunt ceterae personae iuridicae. Quae vero hac personalitate donari possunt sive ipso iure, cum nempe condiciones adimpleant iure ad eam obtinendam statutae, sive per speciale competentis auctoritatis decretum eandem personalitatem concedens.

Generale vero statuitur requisitum, scilicet quod nulla personarum communitas nullaue rerum complexus personalitatem iuridicam obtinere intendens, eandem consequi valet nisi eiusdem statuta ab auctoritate competenti probata sint.

5. *Quinam personam iuridicam repraesentant*, in iure recognito definitur: personam iuridicam *publicam* repraesentant, eius nomine agentes, ii quibus haec competentia sive ipso iure sive propriis statutis, ad normam iuris conditis, agnoscitur; personam iuridicam privatam repraesentant ii quibus eadem competentia per statuta tribuitur.

6. *Ad actus collegiales quod attinet*, modo magis distincto et completo quam in can. 101 Codicis traduntur regulae. Distinctio fit, prout agitur de electionibus aut de aliis negotiis. Pro omnibus vero negotiis, sive agatur de electionibus sive de aliis negotiis, requiritur ut *praesens*

*sit maior pars* eorum qui convocari debent. Hac condicione impleta, *vim iuris habet*: a) si agitur de electionibus, id quod placuerit parti absolute maiori eorum qui sunt praesentes, aut, post duo inefficacia scrutinia, parti relative maiori in tertio scrutinio; quod si suffragia aequalia fuerint, post tertium scrutinium, praeses paritatem dirimat, et, si eam dirimere noluerit, is electus habeatur qui antiquior est aetate; b) si agitur de aliis negotiis, id quod placuerit parti absolute maiori eorum qui sunt praesentes; quod si suffragia aequalia fuerint, praeses suo voto paritatem dirimat.

Servatur etiam regula Codicis I. C. quae habetur in can. 101, § 1, n. 2.

7. *Extinctio personarum iuridicarum* modo magis definito determinatur.

*Ad rationes extinctionis* quod attinet, servatur imprimis praescriptum can. 102, § 1 Codicis I.C., vi cuius persona iuridica, quaecumque sit, extinguitur tum si a competenti auctoritate supprimatur tum si per centum annorum spatium *agere* desierit. Additur vero personam iuridicam *privatam* insuper extinguere, si ipsa consociatio ad normam statutorum dissolvatur; aut si, de iudicio auctoritatis competentis, ipsa fundatio ad normam statutorum esse desierit.

Servatur etiam praescriptum can. 102, § 2 Codicis, distinctius autem expressum, scilicet: si vel unum ex personae iuridicae collegialis membris supersit, et personarum communitas secundum statuta esse non desierit, *exercitium* omnium iurium communitatis illi membro competit.

*Ad destinationem bonorum* personae iuridicae extinctae quod attinet, haec statuuntur: a) si agitur de persona iuridica *publica*, destinatio iurium patrimonialium et bonorum regitur ipso iure et statutis; quod si nihil in iisdem statuitur, haec bona et iura patrimonialia itemque onera obveniunt personae iuridicae immediate superiori, quae eundem aut similem persequitur finem, salvis semper foundationis vel oblatorum voluntate, iuribus quaesitis, necnon statutis; b) si agitur de persona iuridica *privata*, destinatio bonorum et iurium patrimonialium regitur statutis propriis.

8. *De coniunctione universitatum*, quae personae iuridicae sunt *publicae* atque *de divisione universitatis*, quae persona iuridica est *publica* tandem praescripta proponuntur.

a) Casu quo coniunguntur universitates, sive personarum sive rerum, quae personae iuridicae sunt publicae, ita quidem ut ex iisdem una universitas, personalitate iuridica gaudens, constituatur, haec nova

persona iuridica bona obtinet iuraque patrimonialia quae erant prioribus propria atque onera suscipit quibus eadem gravabantur; attamen, ad destinationem bonorum et adimpletionem onerum quod spectat, semper salvanda est fundatorum oblatoorumque voluntas.

b) Casu quo *dividitur* universitas, quae persona iuridica est publica, ita ut aut illius pars alii personae iuridicae publicae uniatur, aut distincta persona iuridica publica ex parte dismembrata erigatur, v.g. si dividitur dioecesis aut paroecia, *auctoritatis ecclesiasticae cui divisio competat* est curare de divisione bonorum et iurium necnon onerum; attamen semper servari debent fundatorum et oblatoorum voluntas, iura quaesita necnon statuta probata. Ad divisionem hanc iurium et onerum quod attinet, regulae generales praebentur quae sequuntur: 1. *quae dividi valent* bona et iura patrimonialia necnon aes alienum aliaque onera, inter personas iuridicas de quibus agitur *debita cum proportionem ex aequo et bono dividantur*, ratione habita adiutorum et necessitatum utriusque; 2. bonorum *quae dividi non valent* usus et fructus utrique personae cedant, oneraque iisdem propria utrique incumbant, servata item debita proportionem ex aequo et bono definienda.

### III. De actibus iuridicis

1. *Principium generale de requisitis ad validitatem* actus iuridici imprimis statuitur. Tale principium in iure Codicis de actibus iuridicis (cann. 103-105) deficit, licet norma habeatur in can. 1680, § 1, sub titulo « de actionibus ob nullitatem actorum ». Aptius autem est ut de requisitis ad validitatem actus iuridici inde ab initio norma tradatur, et quidem modo positivo.

Principium his verbis enuntiatur: Validus est actus iuridicus a persona habili aut competenti positus, nisi in eo deficient quae actum ipsum essentialiter constituunt, aut desiderantur sollemnia vel requisita lege ad validitatem actus imposita.

Actus iuridicus *plane validus* est actus iuridicus, in quo adsunt omnia illa quae actum de quo agitur essentialiter constituunt seu quae ad eius essentiam, eius naturam pertinent, atque cui non deficient quae lege ad validitatem imponuntur sollemnia aut alia requisita.

Validitas actus iuridici supponit imprimis adesse illa elementa quae *ad actus essentiam* pertinent, quae ipsa natura actus de quo agitur *elementa constitutiva* eiusdem sunt dicenda. His deficientibus actus est invalidus quia *inexistens*. Ita, cum contractus sit duorum vel plu-

rium in idem placitum consensus, penitus deest contractus, scilicet est inexistens, si non habentur saltem duae personae, aut si penitus deficit alterutrius consensus, aut si non adest obiectum de quo consensus datur.

Validitas actus praeterea exigit ut adsint illa elementa, personas v.g. contrahentium aut obiectum actus respicientia, quae lege ad validitatem actus requiruntur, itemque ut adsint sollemnia quae lege ad validitatem actus imponuntur. Haec quae *lege* ad validitatem actus requisita aut sollemnia imponuntur sunt elementa, non quidem existentiae, sed validitatis. Hisce deficientibus, actus non est inexistens, sed est *invalidus* atque per sententiam iudicis rescindi potest, nisi ipso iure irritus statuatur. Ad validitatem autem actus lege imponi possunt sollemnia seu formae servandae, aut alia statui possunt requisita. Inter eadem habentur quae ipsa lege statuuntur requisita ad capacitatem seu habilitatem personae aut ad competentiam personae. *Capacitas* quaedam ad actus iuris privati seu actus privatos ponendos ipsa lege determinari potest. *Competentia*, quae est habilitas ad actus publicos ponendos, unice a lege pendet, i. e. ipsa lege conceditur.

2. *Praesumptio validitatis actus iuridici rite positi* generali quoque statuitur praescripto, quo vero insimul valor huius praesumptionis determinatur.

Statuitur imprimis *actum externum rite positum* praesumi validum. Est regula, vi cuius standum est pro valore actus, nisi contrarium probetur. Praesumptio haec, uti patet, est *iuris tantum*.

In eodem vero praescripto asseritur hanc praesumptionem non posse invocari ad probanda *quae natura sua actum essentialiter constituunt* nec in diiudicanda *competentia*, quae quidem positive est probanda. Re quidem vera: a) positiva lege suppleri non valent quae *natura sua* ad actus essentiam requiruntur, elementa nempe actus, quibus deficientibus actus simpliciter non existit; b) alia ex parte, *competentia* semper est positive probanda: ad actus privatos ponendos persona, discretionem iudicii gaudens, capax dicenda est, nisi lege incapax facta sit; ad actus publicos ponendos nemo *competentia* pollet, nisi eadem ipsi collata sit, et ideo haec collatio non potest supponi, sed probari debet.

3. *Rationes quibus afficitur existentia aut validitas actus iuridici* deinde considerantur: sunt *ignorantia et error, dolus necnon vis et metus*.

Quae in Codice I.C. (cann. 103-104) habentur praescripta de earum effectu in existentiam aut validitatem actus iuridici *singulorum*, quoad

substantiam retinentur. Actus positus ex vi ab extrinseco personae illata, cui ipsa *nequaquam* resistere potuit, itemque actus positus ex ignorantia aut ex errore, qui versatur circa id quod eius substantiam constituit aut recidit in condicionem qua non, pro infecto habentur. Actus vero positus ex alia vi et metu, iniuste incusso, aut ex dolo, itemque actus positus ex alia ignorantia vel errore, valent, nisi aliud iure caveatur, sed possunt dare locum actioni rescissoriae.

Ast, in Codice non habetur praescriptum de effectu vis et metus, doli atque ignorantiae et erroris in actum *ab aliquo Collegio* positum. Norma proponitur quae sequitur: si maior pars membrorum Collegii ex vi et metu aut ex dolo aut ex ignorantia et errore, votum protulerit, actus Collegii invalidus censetur; si unum alterumve tantum Collegii membrum ita votum suum protulerit, actus est validus, sed dat locum actioni rescissoriae ad normam iuris iis quorum interest.

4. *Vis legis praescribentis ut consensus habeatur aut consilium* exquiratur unius aut diversarum personarum determinatur eodem quoad substantiam modo ac in Codice I.C. (can. 105), mutata quidem ad claritatem praescriptorum forma. Attamen quae in can. Codicis 105 habentur de iuramento praestando non servantur; statuitur tantum: omnes quorum consensus aut consilium requiritur obligatione tenentur sententiam suam sincere proferendi, atque si negotiorum gravitas, iudicio Superioris, id suadeat, secretum sedulo servandi.

5. *Obligatio ad damna illata reparanda*, quae per actum iuridicum, immo per alium quemvis actum, *illegitime* inferuntur, in iure recognito proposito affirmatur. Deficit tale praescriptum in iure Codicis de actibus iuridicis, atque visum est consultoribus illud omnino requiri (W. Onclin, *Relator*).

